

20 K 475 (2. Expl)

ILLVSTRISSIMO  
CLEMENTISS. & PRINCIPI.  
IOANNI VVILHELMO,  
DVCI IVLIACENSI, CLI-  
VENSI, & MONTENSI, COM.  
MARCHIAE & RAVEN-  
SPVRGI, DOM. IN  
RAVENSTEIN, &c.  
IVNIORI

DOMINO SVO CLEMENTISS.



AGNUM & operosum instituenti opus, PRINCEPS ILLVSTRIS-  
SIME, id mihi contigit, quod mediocris fortunæ honesto cui com-  
modam splendidamque habitationem sibi paranti euenire solet,  
nimirum, quando aut impensarum excessus, aut ædificij cõcepti dif-  
ficultas in complures annos operam prorogat, id in primis curat, vt  
quibus pro sustentanda familia statim est opus, ædificet, veluti sunt  
culina, penu, cubicula, cisternæ, aut putei aquarum perennium, reli-  
qua quæ ad hospitalitatem, ad vitæ iocunditatem, ad decus & ma-  
gnificentiam spectat, vt sunt porticus, exedre, aulæ, cœnacula, triste-  
ga, deliciarum horti, & pomeria, successu temporis pro rerum oport-  
tunitate & commoditate, iuxta ichnographiæ totius operis primum delineatæ normam astruit.  
Ita & ego cum totius orbis descriptionem meditarer, exigebat quidem operis distributio & or-  
do, vt primum de mundi fabrica, dispositioneque partium in vniuersum, deinde, de cœlestium  
corporum ordine & motu, tertio de eorundem natura, radiatione, & operantium confluxu, ad  
veriorem astrologiam inquirendam, quartò de elementis, quintò de regnorum & totius terræ  
descriptione, sexto de Principum à condito mundo genealogijs, ad emigrationes gentium, & pri-  
mas terrarum habitationes, rerumque inuentarum tempora & antiquitates indagandas, traçta-  
rem. hic enim rerum naturalis est ordo, qui causas & origines rerum facile commonstrat, & ad  
veram scientiam sapientiamque optimus dux est. Verum quia in meos solius humeros hæc fa-  
brica incumbit, nec aliorum opera (exceptis, qui tabulas in æs incident) ad hanc perficiendam  
vtipossum, quemadmodum qui ædificat cementariorum, fabrorum, aliorum manibus ab-  
soluit omnia, præterea nec sculptorum tanta suppetit copia, vt paucis annis institutum opus per-  
fici queat, necessitate adactus fui, ex quædico operis ædendi initium facere, neque porro iustum  
erat, etiam si usque ad consummationem totius suppressere potuisse omnia, studiosos eius par-  
tis, quam nunc absoluissim, usq; priuare. Quamobrem eas nouæ Geographiæ quam nunc paro,  
tabulas, quibus hac tempestate Reipub. me maximè seruitur existimau, nimirum Galliæ &  
Germaniæ, primum parandas euulgandasque iudicau, in quibus etiam diligentem nauauit ope-  
ram, vt ad rationem, & iustum symmetriam redigerem omnia, quantum ex obseruationibus cœ-  
lestibus, itinerarijs, impressis, scriptisque tabulis fieri potuit, vnde & loca omnia, quæ iuxta extre-  
mos cuiusque tabulæ limbos vicinis tabulis repetuntur, eodem utrobique se modo habent in  
longitudine, latitudine, & distantijs, vt ex una tabula in aliam transitus & itinera non minus ag-  
nosci &

11 8 571  
12 1839

D E D I C A T O R I A.

nosci & perspici possint, quam si vna vtriusque descriptionis esset continua tabula. Hoc tantum est differentia, quod frequenter non ad eandem graduum cœlestium magnitudinem sunt comparatae tabulae, proinde maior in una, quam in altera, sit vnius miliarij capacitas, ad quam circinus contrahendus extendus est, cum iter ex una in alterius locum aliquem prosequimur. Quemadmodum autem primam Cosmographiae editionem, in primo Geographie Tomo, Ptolomæi in quanis tabulis factam Illustrissimo parenti tuo, domino meo clementissimo dedicaui, ita æquum est, proximam hanc euulgationis partem Illustrissimo nomini tuo sacram facere, quo patri & filio pariter, Illustrissimis Clementissimisque dominis meis, & quidem naturalibus, ut sub quorum tutela, in terra Iuliacensi, & parentibus Iuliacensibus conceptus, primisque annis educatus, licet in Flandria natus sum, iustæ reuerentia, obediëtia, & gratitudinis pro beneficijs, quibus Illustrissimus parent tuus me cumulauit, testimonium palam reddam, & cognoscant posteri vestram erga studiosos, qui Republicæ prodesse laborant, benignam clementiam, & beneficentiam, ad quam in futurum celebrandam pro mea virili haçtenus ea meditando quæ Reipub. utilia & grata perpetuè esse possint enitor, & laborabo quoad vixero. His ergo nunc incepitæ nouæ Geographiae partibus ILLVSTRISSIME PRINCEPS & studiosorum artiumque bonarum amantissime, patrocinare precor & tanquam reliquorum prælibamento fruere, donec totum exurgat Cosmographiae opus in ordinem suum redactum, quod Illustrissimo parenti tuo in æternam beneficiorum & patrocinij memoriam, pariterque æterno Tuo nomini ab initio destinatum est, cuius complementum fœliciter ut finiam, ILLVSTRISSIMIq; PRINCIPES, domini mei Clementissimi in prospera valetudine cum voluptate, ut citius fieri poterit, videant, Deum Optimum Maximum obnixè precor.

Duysburgi mense Augusto, Anno

1585.

Illustissime Celsit. T.

subditissimus Cliens

Gerardus Mercator Cosmographus.